Missa quam constituit leo papa qui eiectus est a romanis et depulsus a sede apostolica hanc ipse frequenter cantauit in angustiis suis in honore sancte sophye que dominum deprecata est in agone passionis sue pro angustia huius mundi Itaque siquis hanc in angustia sua celebrari fecit in honore sancte sophye vidue et rogauit dominum intimo corde quicquid a domino petierit impetrabit Ad introitum Loquebar. Gloria in excelsis hic habebit auctor tribulationis septem candelas et ad quaslibet collectam incendat candelam dicens hos versus cum oratione dominica genibus flexis Si rapina est dicat Iudica me domine nocentes me expugna impugnantes me Apprehende arma et scutum et exurge in adiutorium mihi Effunde frameam et conclude aduersus eos qui persequuntur me dic anime mee salus tua ego sum. Si pro angustia est dicantur isti versus Exaudi me domine quoniam benigna est misericordia tua secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me Et ne auertas faciem tuam a puero tuo quoniam tribulor velociter exaudi me Intende anime mee et libera eam propter inimicos meos eripe me Collecta Deus qui beate sophye vidue celestis vite ianuam aperire dignatus es multiplici pietatis dono succurre et presta ut quicquid pro necessitatibus et angustiis famuli tui N. postulamus eius interuenientibus meritis impetremus Per dominum.

Sacerdos expectet donec auctor tribulationis versus suppleat ad unamquamque collectam Concede quesumus omnipotens deus sancte sophye meritis nos exultare gaudentes et famulum tuum N. in angustiis positum tuis semper attolle presidiis Per dominum Omnipotens clementissime pater cuius potentia cuncta sunt posita adesto supplicationibus nostris pro angustia famuli tui N. et tribue ei gratiam tuam affluentem ut supplicacionum nostrarum votis per merita sancte sophye indulgentie celestis accipiat auxilium Per dominum Oracio Deus dei filius patri coeterne succurre famulo tuo N. de celis auxilium postulanti et presta ut oratio nostra in commemoratione sancte sophye vidue nomini tuo allata ad salutem dirigatur per quam pietatis tue implorans auxilium Per dominum